SYNOPSIS

VNIVERSÆ MEDICINÆ:

Cùm ex multis Medicorum libris tùm maximè ex IOHAN. HEVRNII Vltratraiectini Inſtitutionibus conformata,

XII. Diſputationibus exhibita, &

IN ACADEMIA VVITEBERGENSI, EXERCITIO priuato euentilata

SVB PRÆSIDIO

M. Balthaſaris Schultzij, Pomerani Gryphenbergenſis.

(†)

Lipſiæ

IMPRIMEBANT HÆREDES FRANCISCI SCHNELBOLTZII. typis hæredum Beyeri.

Anno Chriſti M. DCI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

SERIES
DISPVTATIONVM MEDICARVM.

I. *Continet ſyſtaſin artis Medicæ.*
II. *De Elementis & Temperamentis.*
III. *De Fabrica humani corporis.*
IV. *De humoribus & ſpiritibus.*
V. *De facultatibus & actionibus.*
VI. *De ſanitate.*
VII. *De morbis eorumq́; differentijs.*
VIII. *De cauſis morborum.*
IX. *De ſymptomatis morborum.*
X. *De ſignis Medicis.*
XI. *De prognoſi.*
XII. *De Methodo medendi.*

ILLV-

Google

ILLVSTRISSI-
MO AC REVEREN-
diſsimo Principi ac Domi-

no; Dn. CASIMIRO; Stetinen-
ſium, Pomeranorum, Caſſubiorum &
Vandalorum DVCI; Rugiæ PRINCI-
PI; EPISCOPO CAMINENSI; Gutz-
couiæ COMITI; Leoburgenſium
ac Butouienſium DO-
MINO;

Domino meo clementiſſimo.

NEC NON

AMPLISSIMIS
ac prudentiſsimis viris, ac

Dominis Præſidibus & Senatoribus in-
clytæ Reipubl. Colbergenſis; Dominis
Fautoribus, Affinibus & amicis
meis colendiſſimis

haſce. diſſertationes medicas
ſubiectiſsimè D. O. C.

Balthaſar Schultzius
Medicus Colbergenſis.

Σὺν Θεῷ καὶ ἀγαθῇ τύχῃ.

PRIMA DISPVTATIO CONTINET ΣΥΣΤΑΣΙΝ ARTIS MEDICÆ.

Proœmium exercitij Medici.

MEDICAM ARTEM CONSIDERATVRI OMNINO PIVM AC IVSTVM EXISTIMAMVS, VT IMPRIMIS DEO OPT. MAX. MEDICINÆ AVTORI ΓΝΗΣΙΩ REVERENTER LITEMVS, EVNDEMQVE PER CHRISTVM IESVM FILIVM SVVM ARCHIATRVM NOSTRVM ARDENTER INVOCEMVS, VT SPIRITV SVO SANCTO MENTES NOSTRAS LANGVIDAS EXCITET, EXCITATAS VERITATE PHYSICA ILLVSTRET, ILLVSTRATAS AD NOMINIS SVI GLORIAM, MVLTORVM HOMINVM VTILITATEM, ET NOSTRORVM OMNIVM SALVTEM AVSPICATISSIME DIRIGAT. AMEN.

THESIS I.

Ἔτυμον Medicinæ

MEDICINA à Medendo nomen accepit, quod natiua Artis ſententia tàm Græcis quàm Latinis vſitata ſubindicat: μέδεσθαι enim ſignificat vtrumq; & regere & curare.

II.

Vni-

Vniuerſa igitur Artis noſtræ ratio ad Medendum comparata eſt, ſiue id fiat prouiſione, ſiue curatione: peculiari vero Dei opt. max. indultu hominum generi ideo conceſſa, vt natura noſtra per parentum primorum luxuriem multum infirmata certis præſidijs vtcunq; ſuſtentaretur atq; ita legitimum vitæ terminum aſſequeretur, quàm ſæpè morbis & morte præpedita non aſſequitur. Hippoc. de veter. Medic. Gal. 2. ad Traſyb. & lib de artis conſtr.

Cauſæ veræ Medicinæ. Efficiens. Materia Forma Finis.

III.

Digna profectò Ars veteribus iudicata fuit quæ Deo aſcriberetur, non ideo tantum, quod à Deo profecta ſe erga eum reuerenter habeat (Hip. de lege & ornat.) ſed etiam quod DEVS ipſe, diui Genij ac homines ſancti ſæpe numero Medicinam feciſſe legantur. Vide Tiraq. libr. de Nobilit. cap. de Medicina.

Autor Medicinæ. Deus: Angeli Medici.

IV.

Atq; hinc eſt illud quod ij, qui Medendo inter homines excelluerunt, Deorum Filij habiti ſint, vt Apollo, Æſculapius, & alij.

Medici Deorum filij.

V.

Initium arti experientia dedit, Experientiam neceſsitas fecit: Primum enim ægroti publicè exponi ſolebant, vt prætereuntes remedia perſpecta ſuggererent.

Origo Medicinæ experientia.

VI.

Deinde ad experientiam ratio acceſsit, quæ morborum cauſſas, ſigna curatius attendere,

Ratio.

Digitized by Google

remedia morbis debita diſpenſare cœpit.

VII.

Methodus artis.

Tandem Methodus artis nimis ſuccincta acceſsit, quæ catholica artis præcepta nimis contraxit, omnemq; morborum & medendi rationem retulit ad laxitatem & adſtrictionē.

VIII.

Sectæ Medicorum tres.

Hinc tres artis noſtræ celebratiſsimæ extiterunt ſectæ Emperica, Dogmatica & Methodica: Ex quibus Dogmatica quæ etiam Rationalis appellatur, ſemper in delicijs ac precio prò cæteris habita fuit.

IX.

Dogmatica Secta optima.

Nec iniuria: Sola enim eſt, quæ ex ſolidis fundamentis legitimam morborum cognitionem, eorundemq; certam curationē deducit.

X.

Hanc ergò Medicinam Dogmaticam conſtituturi rectiſsimè à definitione illius ordiemur.

XI.

Definitio Medicinæ.

Eſt autem Medicina, Hippocrate definiente ars præclariſsima quæ vitia humani corporis per Additionem & abſtractionem emendat. lib. de lege lib. de flatibus.

XII.

Perfectior definitio.

Quæ definitio curatiuam artē præcipuè concernit, quæ ſimul præſeruatiuā, talis eſto: Medicina ars eſt, quæ ſanitatem in humano corpore præſentem conſeruat, amiſſam reſtituit.

XIII.

Artis

Artis nomen Medicinæ rectiſſimè conueni- Ars Medicinæ legit. genus.
re putat, Ariſtoteles 6. Moral. vbi artem prædicat eſſe habitum certâ ratione aliquid efficientem.

XIV.

Subiectum artis noſtræ eſt corpus humanum tanto nobilius, quanto eſt HOMO omnium præſtantiſsimus, in quo δύναμις τῆς ὑγιείας præſupponenda eſt. Subiectum Medicinæ corpus hum.

XV.

Finis artis Medicæ ſanitas eſt, quæ in homine dupliciter conſideratur, aut per ſe quatenus adeſt, vel per aliud, per morbum ſcilicet, quatenus abeſt. Finis ſanitas.

XVI.

Per ſe conſideratur ſanitas, primum quid & qualis illa ſit: Deinde quomodo conſeruanda.

XVII.

Per aliud conſideratur, per morbum ſcilicet, primum qualis ſit morbus, quibus ſignis cognoſcatur, tum quibus remedijs è corpore profligandus ſit, vt ſanitas ex integro reſtitui poſſit.

XVIII.

Atq; hinc duæ præcipuæ artis Medicæ partes exurgunt: vna quæ præſentem ſanitatem curat ὑγιεινὴ: altera quæ amiſſam renouat θεραπευτικὴ. Partes Medicinæ præcipuæ.

XIX.

At proceres artis diſtinctius rem putantes

Partes quinq;.

vniuerſam Medicinam in quinq; partes diſtributam dederunt:

φυσιολογική.

Prima eſt φυσιολογική quæ de naturali corporis humani conſtitutione diſſerit.

ὑγιεινή.

Secunda ὑγιεινή, quæ præſentem ſanitatem conſeruare ſtudet.

αἰτιολογική.

Tertia αἰτιολογική ſeu παθολογική, quæ cauſas & effectus morborum inquirit.

σημειωτική.

Quarta σημειωτική, quæ ex ſignis de morborum conditione decernit.

θεραπευτική.

Quinta θεραπευτική, quæ rationem medendi explicat.

XX.

διαιτητική. φαρμακευτική. χειρουργική.

Θεραπευτικὴν iterũ triplicem faciunt: διαιτητικὴν, φαρμακευτικὴν καὶ χειρουργικήν. Prima morbos curat bona victus ratione: altera per pharmacian: tertia per exquiſitam manuum operam.

XXI.

προφυλακτική. εὐεκτική. ἀναληπτική.

Sunt etiam aliæ quæ Medicinæ formam perficiunt, complures partes, vt προφυλακτική, εὐεκτική, ἀναληπτική, &c. quæ tamen omnes ad prædictas ſpecies κατ᾽ ἀναγωγὴν deduci poterunt.

XXII.

Materia Medicinæ

Materiam artis Medicorum Filij alia etiam ratione cognoſcendam exhibuère, dum eam in tres claſſes redegerunt.

XXIII.

Prima claſſis eſt earum rerum quæ corporis

noſtri

noſtri conſtitutionem ingrediuntur, vulgò RES NATVRALES appellantur, vt ſunt: Elementa, Temperamenta, Partes human. corporis, Humores, Spiritus, Facultates, Actiones. Res naturales.

XXIV.

Altera claſſis eas res exhibet, quæ quidem corporis conſtitutionem non ingrediuntur, ad corporis tamen conſeruationem multum pertinent, vt ſunt: Aër, cibus, potus, vigilia, ſomnus, euacuatio, Affectus &c, vulgò RES NON NATVRALES dicuntur. Res non naturales.

XXV.

Tertia claſſis illis rebus dedita eſt, quæ corpus noſtrum multis modis lædunt & παρὰ φύσιν afficiunt RES PRÆTERNATVRALES appellatæ, vt ſunt: Morbi, ſymptomata, remedia omnia &c. De quibus omnibus ordine decenti, prout poterimus σὺν θεῷ καὶ ἀγαθῇ τύχῃ, auſpicatiſſimè diſquiremus. Res præternaturales.

QVÆSITA.

1. *Q. An ſit aliqua Medicinæ demonſtratio? Reſp. Dicemus eſſe aliquam ſed non Mathematicam.*
2. *Q. An Medicina verè Ars ſit, & cur non ſit ſcientia vt vult Galen. Reſp. Quid ſi vtrumq; eſſet citra confuſionem: Scientia eſt latè accepta, quatenus reſpicit Theoriam: Ars propriè dicitur quoad Praxin.*
3. *Q. Vtrum ſola Dogmatica ſecta probanda, cæteræ negligendæ ſint? Reſp Non putamus. Dogmaticæ tamen palmam damus.*
4. *Q Quomodo verum ſit quod vulgò dicitur: Me-*

dicum ingredi debere duobus cruribus RATIONE *&* EXPERIENTIA? *Reſp. Ita verum eſt; vt vtrumq; habere debeat.*

5. *Q. Vtrum ſani etiam Medicinæ opus habeant. Reſp Non opus habent, quoad* φαρμακείαν, *ſed opus habent, quoad* προφυλακὴν.

Secunda diſputatio.

DE ELEMENTIS ET TEMPERAMENTIS.

I.

Phiſiologia Medica. Phyſiologiam primam Medicinæ partem eſſe, ſuperiori diſputatione diximus, quæ Naturalem corporis humani conſtitutionem, omniaq; illius principia ſolerti cura atq; induſtria perſcrutatur.

II.

Medico neceſſaria naturæ cõſideratio. Etſi Medico vniuerſæ naturæ conſideratio ad finem ſuum valde neceſſaria ſit, præcipuum tamen illius ſtudium eſt cognoſcere, quæ naturaliter ad ſubiecti ſui perfectionem et finem artis pertinent.

III.

Septē ſunt corporis noſtri principia. Huiuſmodi vero ſeptem ſunt 1. Elementa 2. Temperamenta. 3. Fabrica partium. 4. Humores. 5. Spiritus 6 Facultates. 7. Actiones.

IV.

Elementũ. Primum Materiale principium quod conſtitutionem corporis noſtri ingreditur ELEMENTVM

TVM eſt cuius ratio diligentiſſimè exploranda eſt.

V.

Eſt autem Elementum minima pars eius, cuius eſt elementum. Definitio Elementi.

VI.

Minima pars ſimpliciſſima putatur, quæ in alias ſpecie diuerſas diuidi minimè poteſt.

VII.

Sunt autem Elementa in natura rerum quatuor: IGNIS, AER, AQVA, TERRA, id quod probatur ex motu corporum & primarum Qualitatum conditione. Elementa 4.

VIII.

In motu ſimplici quod leuiſſimum eſt, ſurſum vergit, quod grauiſſimum, deorſum: Ita Ignis ſurſum, terra deorſum tendit At hæc duo propter diuerſitatem naturæ, ſine medijs coniungi non poterant, neceſſe ergo fuit vt ex vna parte Aër intercederet, ex altera verò Aqua. Probatur.

IX.

Idipſum etiam numerus & conditio primarum Qualitatum declarat, quarum quatuor ſunt: calidum, frigidum, humidum, ſiccum.

X.

Singulis Elementis binæ qualitates per naturam contigerunt ideò, vt illarum adminiſterio vices generationis ac corruptionis continuarentur, Caliditas & ſiccitas IGNI: caliditas & humiditas AERI: Humiditas & frigi- Cur binæ qualitates ſingulis elementis.

Frigiditas Aqvæ: Frigiditas & ſiccitas Terræ competunt.

XI.

Ignis. Ignis naturâ calidiſſimus eſt & ſiccus, rarus & leuiſſimus eò purior quo Sphæræ lunari vicinior, plus formæ minuſue materiæ habens. Virtus illius in ſimplicibus: viuificare, frigidam influentiam temperare. In mixtis: concoquere, digerere, impura à puris diſcernere, vitalem potentiam producere &c.

XII.

Aër. Aer Igni proximus eſt humidiſſimus & calidus, leuis & temperatus, in quo tres regiones Phyſici decernunt: ſupremam calidam, mediam temperatam, infimam modo frigidam, modo calidam: Officium illius eſt, vt cum Igne virtutem cœleſtium ad Elementares naturas deferat. In mixtis raritatem, ſubtilitatem, temperiem rebus addat optimam.

XIII.

Aqua. Aqva frigidiſſima & humida cenſetur, cuius munus eſt, vt frigiditate ſua calorem Ignis temperet benè corpus luſtret & conſeruet.

XIV.

Terra. Terra ſiccilſima ac frigida eſt nuſquam pura: niſi forte propè centrum, cuius officium eſt materiam rebus generandis præbere, ſemina rerum fouere ac continere.

XV.

Hæc quatuor Elementa ſuis inſtructa Qualita-

litatibus, ſi per naturam rectè miſceantur, omnes mixtas naturas, ſiue perfectæ fuerint, ſiue imperfectæ, ex æquo & iuſto conſtituunt.

XVI.

Eſt verò Mixtio, Philoſopho dicente, miſcibilium alteratorum vnio, ſeu vt autor noſter, miſcibilium corporum motus ad mutuum contractum vt fiat vnio. *Mixtio quid.*

XVII.

Hæc illa Generationis prænia ancilla dicitur, quam ſtatim inſequitur Temperamentum, ſeu vt vocant, craſis generationis filia.

XVIII.

TEMPERAMENTVM nihil aliud eſt, quàm iuſta qualitatum inter ſe mixtarum ſymmetria, ex qua quæ reſultat qualitatum cæterarum Domina, Temperies rectè dicitur. *Temperamentum.*

XIX.

Eſt verò Temperamentum duplex, vnum eſt εὔκρατον ἁπλῶς abſolutè temperatum, in quo Elementorum vires æqualiter ad pondus coirent, ſi reipſa potius quam cogitatione daretur: alterum εὔκρατον κατά τι, ſecundum Iuſtitiam, vt dicunt, temperatum, quod in tali Elementorum contemperatione conſiſtit, quæ ſingulis naturis maximè accommodata eſt. *Temperamentum duplex.*

XX.

Quicquid ab hac temperie diſcedit, intemperatum eſt, idq; vel ſimplex, vt calidum, frigidum, humidum, ſiccum: vel mixtum vt calidum *Intemperamentũ.*

lidum & ſiccum, calidum & humidum, frigidum & ſiccum, frigidum & humidum. Quæ Medicis κατὰ μᾶλλον καὶ ἧττον certis gradibus diſtinguuntur.

XXI.

Temperamentum. Inſitum. Influens. Eſt & alia Temperamenti diuiſio qua aliud Inſitum dicitur & aliud Influens. Inſitum ſingulæ partes corporis peculiare habent à primo ortu: Influens vero ex publicis facultatum officinis in ſubſidium partibus ſubinde ſuppeditatur.

XXII.

Inſiti Temperamenti quatuor ſunt differentiæ, quæ ab humoribus in principio genituræ præpollentibus deſumuntur: vt eſt Temperamentum Sanguineum, Bilioſum, Phlegmaticum & Melancholicum.

XXIII.

Principia Generationis Semē & Sanguis maternus. Principia Generationis noſtræ ſunt Semen & Sanguis maternus, illud efficientis rationem habet, hic verò materiæ. Scimus alios aliter.

XXIIII

Ex Semine vigor & qualitas Temperamenti dependet: Ex Materia diuerſitas eiuſdem, quæ in ſingulis partibus ſemper alia & alia eſt, tametſi totius ratione una temperies ſtatuatur.

XXV.

A Temperamento oriuntur certæ naturarum

rum proprietates quas ἰδιοκρασίας appellitant, & ſunt propria Indiuiduorum Adiacentia ex certa materiæ diſpoſitione nata, quæ idcircò non immeritò cauſa Indiuiduationis perhibetur. Qua de re alibi. Idioſyncraſiæ.

QVAESITA.

1. *Q. Vtrum naturæ conſideratio Medico neceſſaria ſit? Reſp. omninò putamus, adeò vt Medicus quò naturam ſibi habeat familiariorem, eò felicior cenſendus ſit.*

2. *Q. An Elementa in mixtis actu ſint, an verò ſecundum potentiam? Reſp. Poſterius putatur determinatè verius.*

3. *Q. Vtrum temperamentum Proportio ſit, vt vult Fernelius? Reſp. Profectò dubitatur.*

4. *Q. An temperamentum ſit in humoribus, an verò in partibus ſolidis? Reſp. Certè in partibus: Humores enim ſunt in perpetuo fluxu.*

5. *Q. An mores ſequantur temperamentum? Reſp. Sequuntur quidem: ſed non vt folium Arborem vel Solem dies. Quin per diſciplinam Mores multum immutari credimus, iuxta illud Socratis: Naturà eram malus, ſed diſciplina me fecit probum.*

Tertia Diſputatio.

DE FABRICA HVMANI CORPORIS.

Ad

I.

Structura corporis.

Ad temperiem optimam ſequitur optima & decora corporis ſtructura, de qua nunc agere tempeſtiuum videtur.

II.

Homo.

Cum enim homo vniuerſum Medicinæ δεκτικὸν ſit, illud hac ratione etiam atque etiam perluſtrandum eſt nobis, quo genium noſtræ artis benigniorem experiri velimus.

III.

Partes hominis.

In homine duo conſideranda veniunt: ANIMA & CORPVS: Animam Medicus δευτέρως ſaltem conſiderat, corpus verò πρώτως.

IV.

In corpore homin. tria conſideranda.

In corpore hom. tria obſeruanda præcipit Dictator noſter, ἴσχοντα, ἰσχόμενα καὶ ὁρμῶντα: Partes, continentia, id eſt, Humores & Impetum facientia, id eſt, Spiritus: Ex quibus ἴσχοντα nunc tantum attendemus.

V.

Partium diuiſio.

Partes humani corporis ſolidæ vulgò diuiduntur in ſimilares & diſſimilares ſeu Organicas.

VI.

Similares.

Similares ſi accuratè computes, decem ſunt: 1. Os. 2. Caro. 3. Cutis. 4. Membrana. 5. Vena 6. Arteria. 7. Neruus. 8. Cartilago. 9. tendo. 10. ligamentum. Quibus additur etiam Muſculus.

VII.

Ex his quædam corpus ſuſtentant atq; σύ-

ςασιν

ſκοτὴν præbent vniuerſo operi, vt ſunt Ossa Oſſa 304.
quorum ſupra trecenta numerantur quatuor, ab alijs etiam octo, &c.

VIII.

Quædam extremis partibus oſſium Syntaxin continent, vt Ligamenta, tendines, cartilago: quæ colligant partim, partim extendunt & oſſa, vt ad motum præparata extent. Ligamenta, tendines, cartilago.

IX.

Sunt etiam quæ corpus animant & mouent, vt venæ Arteriæ, Nerui, quorum iſthæc eſt differentia: Venæ ſanguinem ab Epate acceptum ad corporis nutritionem in omnes partes vehunt: Arteriæ Spiritum vitalem à corde in vniuerſum corpus diſpenſant: Nerui animalem Spiritum à cerebro in vniuerſum deriuant. Venæ, Arteriæ, Nerui.

X.

Quædam corpus veſtiunt atq; exornant, vt caro, membrana cutis. Quibus adde quæ minus principales partes dicuntur, vt ſunt Medulla, capillus, adeps, Glandula, &c. Caro, mebrana, cutis. Medulla, capillus, Adeps, Glandula.

XI.

Muſculi intermediæ cenſentur naturæ, eò quod ex neruis, ligamentis, venis atq; arterijs conſtent: Qua ratione inter compoſitas partes recenſeri poterunt. Muſculi.

XII.

Diſſimilares ſeu compoſitæ partes, ideò Organicæ dicuntur, quod corpori vitam, ſenſum & motum præſtent, quæ communiter in tres Diſsimilares partes.

B diſtri-

diſtribuuntur regiones, demtis extremis, hoc eſt, Manibus & Pedibus.

XIII.

Caput. Suprema corporis regio caput eſt à ſummo vertice ad primam vertebrã exporrectum, ſuperiori parte in occiput & ſinciput, inferiori verò in faciem & ceruicem diſtinguitur.

XIV.

Thorax. Media Regio Thorax dicitur & à clauiculis vſq; ad Diaphragma pertingit, in cuius dextro & ſiniſtro latere Coſtæ viſuntur Anteriore parte pectus, poſteriore Dorſum exhibetur.

XV.

Venter. Infima Regio Venter eſt à Diaphragmate ad Oſſa pubis Ilium & Iſchium ſeſe extendens, poſterius quinq; lumborum vertebris & oſſe Sacro deſcribitur: anterius toto abdomine: ſuperiora latera Epichondria dicuntur: inferiora Hypochondria.

XVI.

In hac infima regione Membra ſunt Organica nutritioni & procreationi inſeruientia.

XVII.

Nutritionis organa. Nutritioni inſeruiunt quæ vel ad chyloſin parata ſunt, vel etiam ad Hæmathoſin.

XVIII.

Ventriculus Inteſtina. Epiploon. Ad Chyloſin primum pertinet ventriculus commune cibi ac potus receptaculum. Deindè inteſtina gracilia quæ chylum diſtribuunt, craſſa feces diſplodunt. Demum adeſt Epiploon coctionem adiuuans.

Ad

XIX.

Ad αἱμάτωσιν faciunt primum Venæ Meſaraicæ, quæ chylum à ventriculo acceptum ad Epar vehunt: Deinde Epar ſanguinem elaborat, elaboratum poſtea venæ excipiunt. Impuriore quidem vena Porta ad nutritionem inferiorum partium, caua vero tàm ad ſuperiorum quàm inferiorum alimentationem. Poſtremo ſunt etiam membra ad expurgationem humorum noxiorum deſtinata: Lien Melancholicum ſuccum excipit, Veſica fellea bilem flauam. Renes ſeroſos humores per veſicam expurgat.

Venæ Meſaraicæ. Epar. Vena porta caua. Lien Fellea, Veſica. Renes.

XX.

Procreationi inſeruientia membra vtrique ſexui communia ſunt, Spermatica vaſa, teſtes, &c. Pudendum maſculis proprium eſt, ſicuti vterus fœmellis.

Organa procreationis.

XXI.

In Media regione vitalia viſuntur Organa, præcipua ſunt Cor & Pulmo: quibus membranæ duæ adhærent, Pleura ad coſtas, Mediaſtinum pectus æqualiter diuidit.

Organa vitæ. Cor, Pulmo.

XXII.

Adſunt hìc præterea quatuor inſignia vaſa: 1. Vena caua aſcendens 2. Arteria magna 3. Vena arterioſa, & 4. Aſpera arteria. Quibus adde Oeſophagum & neruum ſextæ coniugationis.

Quatuor vaſa.

XXIII.

In ſuprema capitis regione ſunt organa Spirituum animalium, inter quæ cerebrum ratio-

Organa ſenſus cerebrum.

tionis ſedes emicat, tribus diſtinctum cellulis.

Cerebellum. In poſtica capitis parte cerebellum eſt, vnde propagines neruorum deducuntur & ſpinalis Medulla. Sunt etiam duæ membranæ cerebrum ambientes, vna vocatur pia mater proximè cerebrum continens: altera dura Menynx quæ cerebrum veſtit.

Pia mater

Dura Menynx.

XXIV.

Oculi. Aures. Naſus. Lingua.

In capite demum ſenſuum exteriorum organa videntur, 1. Viſionis organa ſunt OCVLI, quorum ſtructura valdè eſt mirabilis. 2. Auditus AVRES. 3. ad Olfactum pertinet NASVS. 4. ad guſtum LINGVA. 5. Tactus ad vniuerſam cutem pertingit.

XXV.

Extrema. Extrema corporis humani ſunt Manus & Pedes: Manus diuiditur in brachium, cubitum & extremam manum: hæc iterum in carpum, Metacarpium & Digitos. Pes itidem in fœmur, tibiam & extremum pedem, qui rurſus in Pedium, Metapedium & Digitos diſpeſcitur.

Atq; hæc eſt mirabilis illa corporis humani fabrica, primis lineis ſaltem delineata.

QVÆSITA.

1. Q. *Cur Homo dicatur Microcoſmus? Reſp. Fortaſsis quia nihil in toto mundo cuius imago non ſit in homine.*

2. Q. *Vtrum partes quædam ſint purè ſpermaticæ, quædam purè ſanguineæ? Reſp. Ambigitur: nam nulla ferè in natura puritas.*

3. Q.

3. *Q. An dentes ſint in numero oſsium? Reſp. Quid ni? Materia eadem eſt & forma.*

4. *Q. Cur ergò dolent, ſiquidem Oſſa ſunt? Reſp. Pertingunt ad radices dentium filamenta nervorum, inde dolor.*

5. *Q. Vtrum venarum origo ſit ab Epate, nervorum ex cerebro, arteriarum ex corde? Reſp. Ita communis eſt opinio, tametſi hoc* κατ' οἰκονομίαν *potius quàm* κατὰ φύσιν *verum ſit.*

Quarta Diſputatio.

DE HVMORIBVS ET SPIRITIBVS.

I.

De continentibus hactenus, ſequuntur nunc vt Hippoc. vocat contenta & impetum facientia.

II.

Per contenta intelligit Princeps noſter HVMORES, qui in corpore humani nutricatui partium deſtinati ſunt: Per Impetum facientia SPIRITVS, qui motum & vim corpori conciliant. **Contenta quid.**

III.

HVMORES in corpore noſtro ſunt humidæ partes ex alimentorum, quibus veſcimur, mixtione genitæ quibus ex hauſtus & continua ῥύσει deperditus corporis vigor reparatur. **Humores.**

IV.

Quo nomine corpori noſtro valdè ſunt familia-

miliares, quod vt Hippoc. ex quibus alimur ex iiſdem quoq; conſtare videamur.

V.

Humores 4. Sunt verò in vniuerſum quatuor in corpore noſtro Primarij Humores: SANGVIS, BILIS, PITVITA, & MELANCHOLICVS SVCCVS: Quibus cum Elementis, cum anni partibus, cum Temperamentis & ætatibus hominum magna eſt affinitas.

VI.

SANGVIS Aëri, veri, pueritiæ congruit: BILIS Igni, æſtati & Iuuentuti: PITVITA aquæ, autumno, virilitati: MELANCHOLIA terræ, hyemi, ſenectuti &c.

VII.

Proinde ſicut Sol ex vna eademq; maſſa diuerſas producit ſpecies: ita calor quoque natiuus ex maſſa chymoſa propter partium diſſimilitudinem diuerſos gignit humores.

VIII

Generatio humorum. Generatio humorum talis eſt: Cum alimentum aſſumtum virtute caloris, qui in Epate tanquam in foco eſt, mutatum fuerit, ibi pars ſucci temperatior in ſanguinem vertitur, calidior in bilem flauam, frigidior in Pituitam; quæ verò poſt coctionem fex ſubſederit, atrabilis indigitatur: Id quod Galen. eleganti exemplo declarat à nouo vino 2. de facult & lib. 4. de vſ. part.

IX.

Cæte-

Cæterum quando hi humores debitam Symmetriam in qualitate, quantitate, loco &c. retinent, naturales vocantur, Si verò contrà fiat, ſtatim Præternaturales euadunt.

X.

SANGVIS duobus modis intelligitur, primò pro vniuerſa maſſa, cui omnes humores cæteri incluſi geruntur: deinde pro ſyncero ac temperatiſſimo humore, qui à reliquis diſtinguitur lata puritate, cuius natura calida & florida eſt, ad corporis nutritionem aptiſſimè comparata. Sanguis.

XI.

PITVITA Græcis φλέγμα humor eſt infra coctionis mediocritatem conſiſtens, frigidus ac humidus, cuius vſus eſt, vt bilis efferueſcentiam ſua temperet lenitate & frigidis partibus corporis præſtet nutrimentum. Pituita.

XII.

Cuius modi triplex in corpore reperitur, vna alimentaria dicitur, quod ad partium pituitoſarum nutritionem faciat: altera naturalis abundans quæ in cerebro, ventriculo, inteſtinis vel alijs locis hæret oportunum bilis refrigerium: tertia demum Nonnaturalis planè degenerans, atq; hæc vel ſalſa, acida, vel dulcis & vitrea eſt. Pituita triplex.

XIII.

BILIS humor eſt tenuiſſimus, calidus & Bilis.

ſiccus, veluti flos vini in ſanguine ſuper natans, cuius officium eſt, frigidiores partes calfacere, & calidioribus alimentum præſtare.

XIV.

Bilis duplex. Eſtq; duplex: vna ad nutriendum apta quæ alimentaria atq; vtilis cenſetur: altera ſuperuacanea vel naturali loco ſuo in felliculo fellis continetur, vel cum egreſſa per venas ad Inteſtina delabitur, & excrementis eijciendis inſeruit: Si vero corrupta in venis fuerit, præternaturalis illa bilis euadit, eaq; quadruplex, 1. vitellina. 2. porracea. 3. æruginoſa. 4. Iſatodes. ſeu pallida bilis.

XV.

Melancholicus humor. MELANCHOLICVS humor frigidus & ſiccus eſt in ſanguinis fece propter grauitaté ſubſidens, cuius officium eſt, acrimoniam bilis ſua frigiditate, & pituitæ humiditatem ſiccitate temperare, vt ita vniuerſa ſanguinis maſſa ad nutriendum aptiſſima fiat.

XVI.

Melanch. triplex. Et hic ſuccus triplex eſt in corpore: vnus alimentarius in ipſo ſanguine: alter naturalis cuius receptaculum eſt LIEN: tertius præternaturalis & tum vel aduſtus eſt, vel Radens.

XVII.

Secundarij humores. Atq; hi primarij ſunt humores, ſunt etiam ſecundarij, vt vult Auicen. quatuor: quorum primus eſt ἀνώνυμος, alter Ros dicitur, tertius Gluten, & quartus cambium, οἰκεῖα τροφή.

Hacte-

Digitized by Google

XVIII.

Hactenus de humoribus, qui inſtar materiæ ſunt in corpore noſtro, nunc de Spiritibus, quia formam præ ſe gerunt, videndum eſt.

XIX.

Spiritvs in corpore humani ſunt ſubtiles ſubſtantiæ aeriæ ex puriſſimo ſanguine caloris natiui virtute genitæ, quarum beneficio facultates animæ in reliquas ſubiectas partes deferuntur, vt actiones naturales directè perficiantur. **Spiritus.**

XX.

Sunt autem eiuſmodi Spiritus tres: Animalis, vitalis, naturalis non quidem ex æquo oppoſiti ſed ſubordinati: ita vt ex naturali elaborato gignatur vitalis in corde, ex vitali iterum animalis in cerebro. **Spiritus tres.**

XXI.

Animalis ſpiritus in cerebro ſedem habet, & per neruos in vniuerſum corpus diffunditur, cui mouendi & ſentiendi facultatẽ præbet. **Animalis.**

XXII.

Vitalis in corde domicilium habet ſuũ, & per arterias in omnes corporis partes defertur, quibus vitam largiter impertit. **Vitalis.**

XXIII.

Natvralis à Iecore ortum trahit, inq; venas iugiter corriuatur, qui virtutem nutriendi ad corporis partes defert, & vegetantem virtutem membris omnibus communicat. **Naturalis.**

XXIV.

Indi-

Calor. Indiuiduus ſpirituum comes CALOR eſt, & is vel natiuus, qui natura ſua vitæ fons eſt & origo: vel inſitus qui ſubindè in ſubſidium natiuo per naturam ſubminiſtratur. Ab vtroq; differt ille, qui præternaturalis eſt, ad deſtructionem potius quàm conſeruationem comparatus.

XXV.

Humidum radicale. Calor iſte natiuus in humido vt vocant, radicali & primo genio reſidet, quod certè temperatiſsimum illud vitæ oleum eſt, quod calorem vitæ fouet. Cui in ſubſidium mittitur humidum illud influens ex alimentis per naturam elaboratum.

QVAESITA.

1. *Q. Vtrum ſit aliqua humorum in corpore hum. μεταλλαγὴ, vt alter in alterius naturam mutetur, h. e. ex pituita ſanguis, ex ſanguine bilis, ex bile Melancholia generetur? Reſp. Ex ſemiſſe verum eſt; & ex ſemiſſe falſum.*

2. *Q. Cur pituita non peculiaris locus deſtinatus ſit vt reliquis humoribus ex excrementitijs? Reſp. Non hoc erat de conſilio naturæ, nec ex vſu hominis.*

3. *Q. An humores ſua ſubſtantia poſsint corrumpi? Cur non? Sed ſit, hoc ex accidente.*

4. *Q. Vtrum ſpiritus putreſcant? Reſp. Putreſcunt ſed ex accidente.*

5. *Q. An calor elementatus ſpecie diſtinguatur à cœleſti? Reſp. Litigant hic Phyſici, nos dicemus ſpecie haud diſtingui, ſed tantum gradibus & agentis ratione.*

Quin-

Quinta Diſputatio.
DE FACVLTATIBVS ET ACTIONIBVS ANIMÆ.

I.

Conſtituto iam corpore humano, reliquum eſt vt videamus quid ſua natura poſſit, quidq; ad ſui perfectionem faciat: Id quod ex facultatibus & actionibus humanis, de quibus nunc agemus, liquido apparebit.

II.

FACVLTAS, definiente Gal: de nat. fac. cauſa eſt proxima, à qua procedit actio. Facultas.

III.

Quæ definitio in ſpeciem plana videtur: at valde eſt intricata: Quid enim per cauſam intelligat Galenus, non omnibus per æque obuium eſt.

IV.

Quidam temperamentum, quod ex calido humido, frigido, ſicco commiſcetur, omnium in corpore humano actionum cauſam eſſe aſſerunt, idq; à Galeno ſignificari putant.

V.

Alij contra, temperiem ſe vt materiam habere, cauſam vero hanc inſtar formæ eſſe contendunt, ideoq; per hanc cauſam nihil aliud quàm animam ipſam ſubaudiunt, quæ Philoſopho rectè actus eſt primus corporis organici, viuentis potentia. Auicennæ definitio 2. de an. c. 1.

At

VI.

At nos media incedentes via facultatem dicimus Potentiam immediatè ab anima productam, membrisq; τῇ φύσει ingenitam, cuius merito anima actiones animatas perficit.

Facultates tres.

VII.

Animalis.

Qua ratione facultas cauſa cauſæ dicitur, cuius domicilium eſt ipſa partium temperies.

VIII.

Sentiens.

Hæc de intellectu definitionis, de numero facultatum nunc diſpicere tempeſtiuum eſt: Quarum tres vulgò celebrantur pro triplici ſpirituum diſtinctione, animalis, vitalis & naturalis.

IX.

Animalis facultas in cerebro tanquam ſublimi quadã ſpecula reſidet, ex quo per neruos ſenſum & motum vniuerſo corpori præſtat, ideoq; duplex cenſetur, ſentiens & mouens.

X.

Sentiens facultas iterum geminæ eſt virtutis, aut enim internè in cerebro virtutes ſuas perficit per interminiſtras facultates: Intellectiuam, memoratiuam & imaginatiuam: vel etiam ad exteriora excurrit, & per viſum, auditum, odoratum, guſtum & tactum potenter dominatur.

XI.

Mouens.

Movens facultas in neruis ac muſculis degit & voluntariæ motionis cauſa eſt, ideo dicitur locomotiua.

VITA-

XII.

Vitalis facultas ex corde, in quo habitat, virtutem per Arterias in vniuerſum corpus diffundit, idq; ſpirituum vitalium beneficio, qui in ſiniſtro cordis thalamo generati per omnes corporis partes perreptant. Vitalis facult.

XIII.

Natvralis facultas in Epate præcipuam ſibi ſedem elegit, ex quo per venas ſpirituũ naturalium ope virtutem nutriendi in omnes corporis partes transuehit, tum etiam appetitum incitat ad ſpeciei conſeruationem comparatum. Naturalis.

XIV.

Eſt ergò gemina huius facultatis virtus, vna ad conſeruationem indiuidui θρεπτικὴ nutriens dicta, altera ad propagationem ſpeciei ἐπιθυμητικὴ procreans. Facultas Nutriens Procreans.

XV.

Vtriq; famulantur ſubminiſtræ Facultates, ut ſunt Attractrix, Retentrix, Expultrix, Alteratrix: Quibus accedit etiam auctrix.

XVI.

Eſt etiam facultas rationalis λογικὴ quæ immediatè ſine Organis corporeis mentis beneficio intellectum producit, de qua alibi. Rationalis facultas.

XVII.

Ex facultatibus actiones promanant tanquam effectus ex cauſis: Qua ratione Galen. actionem definit 1. de fac. natur. quod ſit actus à facultate procedens. Actiones.

Pro-

XVIII.

Actiones tres.

Proinde ſicut tres in corpore noſtro ſunt facultates primariæ: ita tres quoq; ex illis actiones prodire videmus.

XIX.

Naturalis.

Prima actio NATVRALIS eſt, qua naturæ opera naturali more expediuntur, cuiuſmodi ſunt nutritio & generatio.

XX.

Generatio. Nutritio.

GENERATIO actus eſt quo noua ſubſtantia ſeminis ac ſanguinis menſtrui interuentu acquiritur: Nutritio verò alimenti beneficio partem in Indiuiduo deperditam debitè reſtituit: Cui famulantur Attractio, Retentio, Alteratio, Expulſio.

XXI.

Vitalis.

Altera actio VITALIS eſt ad vitæ conſeruationem comparata, cuius tres functiones potiſſimum celebrantur, vna eſt in affectibus, altera in Pulſibus, tertia in reſpiratione.

XXII.

Animalis.

Tertia actio ANIMALIS ψυχική, per neruos potiſſimum virtute ſpirituum animalium perficitur, eſtq; duplex: vna ad ſenſum compoſita, altera ad motum.

XXIII.

Ad motum comparata actio planè voluntaria eſt, & per neruos ſeu muſculos motui deputatos expeditur.

XXIV.

Ad

Ad ſenſum directa actio duplicis generis eſt: quædam internè perficitur: quædam externè. Externæ actiones, animales quinq; ſunt, 1. Viſus, 2 Auditus, 3. Guſtus, 4. Olfactus & 5. Tactus: Internæ tres, 1. Senſus communis, 2. Imaginatio & 3. Memoria.

Actiones externæ 5. Viſus, Auditus, Olfactus, Guſtus, Tactus

XXV.

Eſt præterea actio in homine nobiliſſima RATIOCINATIO, quæ à facultate rationali promanat, eaq; inorganica & mirabilis eſt: de qua alibi fuſius.

Act internæ 3. Senſus commun. Imaginatio. Memoria. Ratiocinatio.

QVÆSITA.

1. *Q. Vtrum conſideratio animæ Medico neceſſaria ſit? Reſp. Eſt certè ſed non* πρὸς πρᾶξιν, ἀλλὰ πρὸς γνῶσιν.
2. *Q. An diſcrimen ſit inter animam & potentiam animæ? Reſp. omninò.*
3. *Q. An naturalis actio in homine perficiatur citra rationem? Reſp. Non omninò.*
4. *Q. Vtrum reſpiratio ſimplex ſit actio, an verò mixta? Reſp. Poſterius nobis ita videtur*
5. *Q. Quare animalis facultas non includat rationalem? Reſp. Cauſam in actu diſputationis dicemus.*

Sexta Diſputatio.

DE REBVS vt vocant NONNATVRALIBVS SEV DE SANITATE.

I.

De ijs quæ κατὰ φύσιν nobis inſunt, corporiſq; humani (quod πρῶτον δεκτικὸν eſt Medicæ

cæ conſiderationis) σύστασιν conſtituunt, diſquiſitum fuit hactenus: ſequitur, vt quæ ſanam noſtri corporis στάσιν conſeruant, eâdem ſolertiâ, perluſtremus. Non minor eſt virtus, quam quærere parta tueri.

II.

Sanitas.

Optimam corporis στάσιν Medici ſanitatem vocant, ad quam vniuerſa Medicinæ ratio dirigitur: quæ ſi in ſumma partium συμμετρίᾳ & omnium actionum vigore poſita, qualis facilius cogitari, quam dari poteſt, exquiſita dicitur ſanitas; ſi verò ἐν πλάτει mediocris appareat, quod ex functionum bonitate cognoſcitur, Bona valetudo indigitatur, quæ κυρίως eſt conſiderationis noſtræ.

III.

Conſeruatur ſanitas duabus rebus.

Conſeruatur valetudo, Cicerone dicente tàm noticia ſui corporis quàm obſeruatione earum rerum quæ prodeſſe vel obeſſe ſolent, prius expeditum eſt, reſtat nunc poſterius.

IV.

Res non naturales.

Res quæ prodeſſe aut obeſſe ſolent, non NATVRALES dicuntur, tum quod nobis naturâ non inſint, ſed ἔξωθεν adueniant, tum quod, niſi oportunò adhibeantur, ſæpè ſanitatem euertant, perinde ſicuti legitimè adminiſtratæ ſanitatem præſentem conſeruant, abſentem reſtituunt.

V.

Sex ſunt Res non naturales.

Sunt autem eiuſmodi Res non nat. omnium Medi-

Medicorum calculo numeratæ ſex, 1. Æer, 2. Cibus, Potus, 3. Motus, quies, 4. Somnus, vigilia, 5. Excreta, Retenta, 6. & accidentia animi. Quæ in trium facultatum ſubſidium comparata ſunt. Ad naturalem facultatem pertinet per ſe cibus & potus: per accidens excretio & retentio: Ad vitalem aer & accidentia animi: ad animalem motus, quies: ſomnus & vigilia.

VI.

Aer.

Aer cum primis nobis conſiderandus eſt, corporum noſtrorum neceſſarium, vt Auicenna vult, elementum: ſine quo nec ad momentum quidem vita noſtra durare poteſt. Caloris natiui aptiſſimum pabulum & fuliginoſorum excrementorum receptaculum.

VII.

Optimus Aër.

Optimus eſt Aër qui natura purus & benè temperatus, qui qualitate ſua moderatè calidus, eſt & humidus, nec ex infecta putredine vitium contraxit.

VIII.

Peſſimus Aër

Peſſimus eſt contrarius qui impurus & putridam ex tetra ſtagnorum, paludum & ſubterraneorum ſpecuum exſpiratione contagionem accepit, nimis calidus aut frigidus, nebuloſus & imperſpirabilis.

IX.

Proinde quibus optima aëris temperies per naturam contigit, longæuos populos eſſe veri-

C ſimile

ſimile eſt : quibus verò contraria, minus durabiles cenſendi. Pari pacto qui ægroti fauentem ſibi aerem habent, minus periclitari vere creduntur, quàm qui ſibi inſenſum.

X.

Cibus, Potus.

Alterum ſanitatis præſidium in CIBO & POTV ſitum eſt, quibus reficitur, quod de ſicca vel humida corporis enim ſubſtantia deperditum erat. Ita enim comparata eſt corporis conditio, vt ſemper continua φύσει aliquid decedat, quod niſi commoda diæta reſarciatur, conſtitutio illius diu ſalua eſſe non poteſt.

XI.

In Diæta iſta attendenda præcipiunt Medicorum filij, Delectum cibi & potus. Quantitatem & modum, qualitatem, tempus & ordiné.

XII.

Delectus ciborum.

Deligendi ſunt cibi εὔχυμοι, qui laudabilem ſanguinem generant : εὔπεπτοι, qui à natura facilè digeri poſſunt, & εὐορεκτοι, cuiuſmodi cum voluptate aſſumuntur, & licet melioribus deteriores ſint, facilius tamen conficiuntur, eo quod auidius à natura appetuntur.

XIII.

Quantitas ciborum.

Quantitas cibi & potus ex naturæ appetitu & virium defectu æſtimanda venit. Ita enim edendum, ſic bibendum eſt, vt vires conſeruentur non opprimantur, πολὺ πᾶν πολέμιον τῇ φύσει; Et ἀκορία τροφῆς; ὑγίεια.

XIV.

Qua-

Qualitas ciborum & potionum in ſanis & ægris non vna & eadem eſt: Sani per ſimilia & naturæ familiaria, ægri per contraria cibantur. Qualitas ciborum.

XV.

Valdè etiam prodeſt, tempeſtiuè exhiberi cibos & potus: Oportunum veſcendi horologium eſt fames & ſitis: quæ omnibus modis prouocari debent, nec citra famem & ſitim quicquam ingerendum. Tempus cibandi.

XVI.

Ordinem quoq; in cibando obſeruare iubemur: liquida ſiccis præmittenda, lubrica aſtringentibus, facilia difficilibus concoctu. De quibus tamen accuratè nobis cenſendum non eſt. Ordo ciborum.

XVII.

Ad ſanitatis curam pertinet etiam motus & quies, ἀκίνητα γὰρ φθαρθά. Et. Quod caret alterna requie durabile non eſt.

XVIII.

MOTVS complectitur omnis generis exercitia corporis quibus vigor naturæ ſtabilitur, vt ſunt: Saltatio, equitatio, geſtatio, ambulatio, curſus, iactus, labores manuum, frictiones & alia, quibus tantoperè indulgendum eſt, donec corpus intumeſcat, & ſpiritus excitatiores reddantur: idq; citra laſſitudinem, & tempore oportuno. Motus.

XIX.

QVIES laſſitudinis remedium eſt, & ſalutaris apotherapia iuxta illud Celſi: Quiete & abſtinentia multi magni morbi curantur. Quies.

XX.

Somnus Vigilia. Nec minus commodi in ſanitatis palatio præſtant ſomnus & vigilia, de quibus Hippoc. ita: ſomnus & vigilia ſi modum exuperent, malum: Danda ergo opera vt vicibus alternis, debito modo ac tempore peragatur vtrumq;.

XXI.

Quemadmodum ſomno nox diuinitus, ita vigilijs dies dicatus eſt: Si contrà fiat, naturæ contrarium fieri putamus.

XXII.

Retenta. Excreta Succedunt tandem ad neceſſitatis officium retenta & excreta, quæ ex abundantia & inanitione cauſam acceperunt. In quibus præceptum præcipuum eſt, vt ſuperflua è corpore eijciantur, ſalutaria retineantur.

XXIII.

Excretionum genera varia ſunt, ſi repletio adeſt, educitur vel naturali modo per aluum, ſudores, veſicam, per tuſſim, ſternutationem &c. vel arte per purgationem venæ ſectionem, balnea, vomitum &c.

XXIV.

Accidentia animi. Poſtremò accidentia animi in cenſu ſunt Græcis παθήματα dicta, quæ non minus ſanitatem conſeruant, ſi legitimè adhibeantur, quàm; ſi modum excedant, extremè corpora affligere ſolent.

XXV.

Præcipua ex his ſunt: Gaudium, ira, amor, triſti-

triſtitia, motus: quibus rectè adminiſtratis non modo valetudo integra adſeruatur, ſed etiam male vſurpatis grauiſſimorum morborũ ſymptomata, interdum etiam ipſa mors, vt cognouimus, conſecuta eſt.

QVÆSITA.

1. *Q. An legitima rerum non naturalium vſurpatione homo in viuis perpetuo conſeruari poſſit, vt Aegyptius ille Philoſophus affirmauit? Reſp. Nequaquam.*
2. *Q. An ſani conueniat exquiſita Diæta frui? Reſp. Non peropus eſt.*
3. *Q. Num aëre alantur ſpiritus, vel odoribus nutriantur? Reſp. Dubitatur.*
4. *Q. Quando vtendum ſit Venere? An quando debiliores eſſe cupimus? Reſp. Ergò moderatè ſcitum eſt illud:*

   Balnea, vina, Venus, corrumpunt corpora noſtra,
   Sed ſeruant eadem balnea, vina, Venus.
5. *Q. Num Venæ ſectio ante purgationem, an verò purgatio ante ſectionem inſtituenda ſit? R. Non omnibus conueniunt omnia: Interdum purgatio præmittitur, interdum Venæ ſectio, prout conſultiſſimum eſt.*

Septima diſputatio.

DE MORBIS ET EORVM DIFFERENTIIS.

I.

Quæ hominem κτ φύσιν conſtituunt, & naturali ſtatu conſeruant, ſuperioribus diſquiſitionibus vidimus: ſupereſt, vt cognoſcamus cuiuſmodi illa ſunt quæ hominem ab integra ſanitatis orbita abductum in valetudinis diſcrimen adducunt. Id quod proprium eſt conſiderationis Medicæ.

II.

RES PRÆTER NATVRAM. Sunt verò tria potiſsimum quæ corpus noſtrum παρὰ φύσιν malè afficiunt: MORBVS, MORBI CAVSA & SYMPTOMA: ex quibus præſenti exercitio de eſſentia morbi & vulgatiſſimis differentijs agemus.

III.

Morbus. MORBVS Medicis vulgariter definitur: Affectus ſeu διάθεσις præternaturalis à qua primò læditur actio.

IV.

Nam ſicuti naturalis omnium corporis partium conſtitutio functiones perficiens ſanitas eſt: ita vitioſa partium διάθεσις παρὰ φύσιν accedens, quæ corporis integritatem perturbat, Morbus dicitur, cuius variæ differentiæ citantur.

V.

Differentia morborum prima. Prima & celebratiſſima morborum differentia petitur à læſione actionum in corpore triplici: aut enim læditur ſola temperie, vel in compoſitione, vel ſolutione vnitatis. Hinc morbus triplex exiſtit, primus intemperiei eſt, alter vitiatæ compoſitionis, tertius vnitatis ſolutæ.

In-

VI.

Intemperiei morbus ſimilaris eſt, qui natiuam partis conſtitutionem peruertit, vt ad actionem à natura deſtinatam inepta euadat. **Similaris morbus.**

VII.

Eſtq; vel ſimplex, cum vna duntaxat qualitas à naturali more diſcedit, eaq; vel calida vel frigida vel ſicca ſiue humida. Compoſita intemperies, quando duæ ſimul qualitates à συμμετρίᾳ degenerant, vt calida & humida, calida & ſicca, frigida & humida, frigida & ſicca, Quandoq, etiam inter ſe commixtæ ſunt διακρισίαι. **Simplex intemperies. Compoſita.**

VIII.

Vtraq; viciſſim Intemperies duplex eſt, quædam ſine materia Immaterialis appellatur, quæ ex ſola qualitatum alteratione, ſine humoris affluxu prouenit: quædam cum materia materialis, cum humores ſimul morbum pariunt: ſiue pituita fuerit, ſiue bilis, ſiue etiam Melancholicus ſuccus. **Immaterialis. Materialis.**

IX.

Rurſus ſunt quædam diſcraſiæ vniuerſales, quæ totum corpus infectant, vt ſunt febres, horrores: quædam particulares quæ certam aliquam partem, vt pleuritis, phlegmone &c.

X.

Mala compositio morbum organicũ parit, qui partis alicuius organicæ naturalem cõpoſitionem lædit, idq; quatuor modis; conformatione, magnitudine, numero & conſtructione. **Morbus malæ compoſitionis.**

XI.

Morbi cõformationis.

Morbi conformationis fiunt quando naturalis partium compoſitio vitiatur, vel in ortu, vel etiam poſt ortum: vt caput habere acuminatum, gibboſum tergum; eſtq; in cauitatibus, meatibus, in figura, aſperitate & leuitate.

XII.

Magnitudinis morbus.

Magnitudinis morbus eſt, cum pars aliqua corporis ſupra conuenientem magnitudinis modum accreuit, vel infra eundem ſubſiſtit. Quo pertinent tumores, labes, ſtrumæ, obeſitas &c.

XIII.

Morbus numeri.

In numero morbus eſt cum pars quædam vel redundat vel deficit, vt digitus ſextus, varices, & omnis naturæ luxuries. defectus pedum, manuum, oſſium & ſi quid præterea.

XIV.

Morbus conſtructionis.

In conſtructione morbus oritur cum naturalis partium ſitus variatur, vt in Epiplocele, Enterocele, luxatione, articulorũ commotione.

XV.

Vnitatis ſolutio.

VNITATIS SOLVTIO morbus eſt tàm ſimilaribus quàm diſſimilaribus partibus communis, vario ſe habens modo. In cute excoriatio dicitur vel attritio: In carne vulnus & vlcus. In venis ruptio & eroſio: In neruis punctura, conuulſio: In oſſe fractura.

XVI.

Compoſiti morbi.

Hi primi ac ſimplices ſunt morbi, ad quos quotquot ſunt, vt plurimi ſunt, æquo iure referri

ferri poſſunt. Sin verò duo pluresúe concurrunt in vno corpore ſimilares morbi, Complexi, id eſt, Compoſiti dicuntur.

XVII.

Sunt etiam aliæ morborum differentiæ, quæ vel à qualitate, quantitate, motu vel tempore ſumuntur. Differentiæ morborum aliæ.

XVIII.

A qualitate morbus dicitur benignus, malignus: lethalis, ſalutaris &c A qualitate

A quantitate magnus, exiguus, validus inualidus, vehemens, mitis &c. A quantitate.

A motu, tardus, longus, acutus, chronicus, diuturnus, breuis &c. A motu.

A tempore recens, Inueteratus, æſtiuus, hyemalis, vernalis, autumnalis. Quidam etiam ſunt in fieri, quidam in facto. A tempore.

XIX.

Eſt & vſitata morborum diſtributio ſecundum partes corporis, vt ſunt morbi Cephalici, Pectorales, Epatici, Stomachici, qui à varijs affectibus varia accipiunt nomina. Morbi Cephalici, Pectorales.

XX.

Celebrata etiam hæc morborum diuiſio eſt, qua quidam ſunt communes, quidam vero Priuati.

XXI.

Priuati ſporadici appellantur, quod ſparſim modo hos modo illos diuerſis temporibus affligunt, vt tuſſis, pleuritis, tabes &c. Priuati morbi.

XXII.

Communes. Communes alij παγκοινοὶ ſunt, alij πάνδημοι cum ſcilicet ex praua victus ratione cauſa extitit: Si vero ex aeris vitio ἐνδημοι appellantur, vel ἐπιδημοι populares, quorum quidam peſtilentes ſunt & contagioſi, alij non item.

XXIII.

Morbi primarij Secundarij. Neq; negligentia eſt iſthæc morborum diſtinctio, quâ alij ſunt primarij ſeu primogenei καὶ ἰδιοπάθειαν, καὶ πρωτοπάθειαν: alij ſecundarij κατὰ δευτεροπάθειαν, ſ. ὑστεροπάθειαν, qui tam ſimilitudine & partium affinitate quàm vaſorum communione & materiæ commotione efficiuntur.

XXIV.

Manifeſti occulti. Deniq; ex cauſis oriuntur morbi alij manifeſti, quorum cauſæ vel digito monſtrari poſſunt: alij cœci & occulti quorum ratio non peræque omnibus perſpecta eſt.

XXV.

θεῖον morbos. Diuini morbi. Ad quod genus communiter referunt illud τὸ θεῖον, ex quo morbi diuini ſunt, qui ſic appellantur quod permiſſione Dei homines inuadunt Sed à Diabolo infliguntur vel immediatè, vt furores, manıæ, &c. vel mediatè per Magas, Sagas ſiue Lamias: idq; vel incantamentis vel veneficijs, vt Excæcatio, ligatio, mutilatio &c.

Qui morbi etſi omnino trans naturam poſiti ſunt, quia tamen in corpore hum. repe-

tiun-

riuntur, hac ratione inter morbos recenſeri poterunt.

QVAESITA.

1. *Q. An detur morbus ſubſtantiæ, vt quidam contendunt? Reſp. Datur ſed ex accidente datur.*

2. *Q. An medium ſit inter ſanitatem & morbum? Reſp. Eſt, ſed* ἐν πλάτει.

3. *Q. Num morbus materiæ & formæ à vulgari morborum ſerie differat? Reſp. Non differt reipſa, ſed tantum ratione.*

4. *Q. An detur morbus peſtilens qui idem non ſit contagioſus? Reſp. Non datur, niſi forſan ex veneno ſit peſtis.*

5. *Q. Vtrum occulti morbi ad cauſas Phyſicas referri poſſint? Reſp. Poſſunt, ſed cum* ἀναλογίᾳ *& larga diſtinctione. Sicuti in exercitio explicabimus.*

Octaua diſputatio.

DE CAVSIS MORBORVM.

I.

Morborum ſeriem ſuperior nobis exhibuit diſputatio, proximum nunc eſt vt cauſas morborum cognoſcamus, ſine quarum conſideratione curationis pragmatia nequaquam feliciter ſuccedit. Cauſæ morborum.

Medi-

II.

Tria cauſarum genera.

Medici tria cauſarum genera quibus morbi procreantur, in cenſu habent, vnum προκαταρκτικὸν, alterum προηγούμενον, & tertium συνεκτικόν.

III.

Ea vero cauſarum genera vel ab externis rebus à naturali corporis conſtitutione alienis proueniunt, vel in ipſo corpore conſiſtunt: Vnde iterum cauſæ Medicis diuiduntur in Externas & Internas.

IV.

Externæ cauſæ morborum.

Externæ cauſæ ἔξωθεν aduenientes Celſo euidentes dicuntur, eo quod manifeſtæ ſint: Hippoc. προφάσεις occaſiones, quod cæteris agendi vim tribuant, vulgo primitiuæ appellantur, & in quatuor genera ſubdiuiduntur.

V.

Primi generis illa ſunt quæ intrò aſſumuntur, ſeu corpus noſtrum manifeſtè ingrediuntur per os, nares, aures &c. vt aer inſpiratus, cibus potus, medicamenta, venena.

VI.

Ad alterum genus pertinent, quæ foris nos attingunt, vt aer ambiens, ignis, frigus, fumus, contuſiones vulnera &c.

VII.

Tertij generis ſunt excreta & retenta, quæ facile plenitudinem, cacochymiam, imbecillita-

litatem & alia in humano corpore incommoda pariunt.

VIII.

In vltimo genere numerantur, quæ à nobis fiunt. Quò pertinent omnia exercitia corporis atq; affectus animi, vt ira, odium, metus, lætitia, triſtitia, mæror &c.

IX.

Hæ ſunt externæ cauſæ, Internæ ἔνθεν corpus afficiunt & occultæ dicuntur, eò quod non cuiuis ſed ſolis artificibus cognitæ perſpectæq; ſint, vulgò diuiduntur in antecedentes & conſequentes. Internæ cauſæ Morborum.

X.

Antecedentes προηγούμεναι remotæ ſeu mediatæ dicuntur, quæ interueniente quodam medio morbos procreant: Suntq; vel vitia partium vel humores deprauati, item excrementa à naturali ſtatu degenerantia, vt feces alui, vrinæ, lac, ſemen, ſanguis menſtruus, ſaliua, ſudor, lachrymæ Item Spiritus, fumi, fuligines. Item omnis generis contenta in corpore præter naturam, vt pus, vermes, calculus &c. Antecedentes cauſæ,

XI.

Continentes συνεκτικαὶ immediatæ ac proximæ ſunt cauſæ, quæ per ſe nulla accedente re alia morbum producunt, vt Putredo in febre putrida Inflammatio pleuræ in pleuritide: Diaphragmatis in Phrenitide. Continentes.

Atq;

XII.

Atq; hæ cauſæ tantam cum morbo habent cognationem, vt non niſi ratione ſeparari poſſint, quia eſſentiam morbi ingrediuntur, eumque tam diu fouent, quàm diu ipſæ manent, aduerſus quas igitur omnis Medici ſolertia experiunda erit.

XIII.

Sunt & morborum cauſæ inſitæ.

Diſtinguuntur etiam cauſæ in inſitas & Aduentitias, Inſitæ dicuntur, congenitæ quæ à primo ſtatim ortu noſtris corporibus innatæ morbos hæreditarios gignunt, idq; vel ex temperamento vitiato, vel ſeminis & ſanguinis menſtrui corruptione, vnde ſunt lepra, epilepſia, calculus, podagra, &c.

Aduentitiæ.

Aduentitiæ verò morbos incidentes & recedentes procreant, cuiuſmodi illæ ſunt, de quibus hactenus.

XIV.

Ad cognitionē cauſarum quæ pertinent.

Vt curatius morborum cauſæ cognoſcantur, operæ precium eſt, diligenter ſymptomata percenſere, idem videre, Quæ ſit natura ægrotantis, diſpoſitio corporis, ætas, regio, tempus anni, aeris temperies, conſuetudo, præcedens victus ratio & alia, quæ præceſſerunt, & etiam nunc incidunt plura, ex quorum ſupputatione de morbis iudicare facillimum fuerit.

XV.

Quod ſi paulò diſtinctius morborum cauſas contemplari velimus, proderit in ſingulis cau-

ſarum

ſarum generibus præcipuos enarrare affectus.

XVI.

In temperie primum; Calidorum morbo- *Cauſæ calidorum.* rum cauſæ, Internæ ſunt ſanguinis & ſpirituum feruor, Putredo humorum, maxime bilis, cutis conſtipatio, obſtructio, &c. Externæ cauſæ ſuut rerum calidarum vſus & contactus, vt ſunt acria calida, aromata, pharmaca, alexiteria, motus vehemens, vigiliæ, curæ, ira, Et quæ per accidens calidis morbis occaſionem præſtant.

XVII.

Frigidorum morborum cauſæ internæ ſunt *Frigidorum morborum cauſæ.* frigidi humores maximè pituita, refrigeratio corporis, ſuffocatio, caloris natiui reſolutio, conſtipatio maxima,&c. Externæ aeris frigiditas, diæta & medicina frigida, nimia ſanguinis & ſeminis emiſſio, metus, triſtitia, &c.

XVIII.

Humidorum internæ, humores pituitoſi, *Humidorum cauſæ.* intemperies frigidior & humidior, excrementorum retentio,&c. Externæ humida & auſtrina conſtitutio, aquarum vſus & potus liberalior, balneum frequens, vita ocioſa, delicata & alia his ſimilia.

XIX.

Siccorum Internæ: humor Melancholicus *Siccorum morb. cauſæ.* & bilioſus, ſicca Epatis intemperies, tranſpiratio nimia,&c. Externæ, aeris aquilonaris ſta-

tus,

tus, balnea laconica, vigiliæ, curæ, triſtitiæ, inuidia, Euacuatio nimia &c.

XX.

Compoſ. morbor. cauſæ.

Compoſitorum ſimilarium morborum cauſæ de facili ex prædictis conſtare poterunt, calidorum & humidum cauſæ ſunt quæcunq; calefaciunt & humectant, frigidorum & humid. quæ frigerant & humectant, & ita de cæteris etiam iudicium eſto.

XXI.

Organicorum cauſæ.

Cæterum Organicorum morborum cauſæ tàm internæ quàm exrernæ variæ ſunt & primum in vitiata figura, aut virtus formatrix deprauata vel impedita eſt, meatus anguſtiores, laxiores, &c. Deinde in magnitudine partium & numero quando vel augentur vel minuuntur præ copia vel inopia peccatis materiæ. Demum in praua partium conſtructione articulorum humiditas, fractura, inciſio, luxatio &c.

XXII.

Solutæ vnitatis cauſæ.

Morborum ex vnitatis ſolutione cauſæ internæ ſunt, ſternutatio, clamor, tuſſis, vomitus, nimia corporis extenſio, humores ſalſi & erodentes, vſus ciborum acrium, liberalior victus &c.

Externæ ſunt omnes iniuriæ extrinſecus accedentes, vt caſus, lapſus, ictus, alliſio, omniaque quæ erodere, conquaſſare, diuidere, rumpere, frangere, tundere & vulnerare videntur.

Hæ

XXIII.

Hæ morborum ſimplicium cauſæ præcipuæ ſunt, ex quibus quoq; de facili per ςοχασμοῦ de compoſitis iudicium fieri poterit. Quæ res ſingularis induſtriæ ac periti iudicij eſſe exiſtimatur.

XXIV.

Ex his etiam per ἀναλογισμὸν cauſæ morborum acutorum, chronicorum, continuorum & intermittentium & aliorum omnium perfecto calculo ſupputari debent.

XXV.

Quas ergò cauſas qui perito ςοχασμῷ venari ſolerter didicit, non modò eruditus, ſed etiam feliciſſimus Medicus nobis exiſtimabitur. Et certè Felix qui potuit Morborum noſcere cauſas.

Quæsita.

1. *Q. Cur Morbus non ex læſione facultatum potius quàm ex deprauatione actionum, iudicatur? Reſp. Læſio facultatum non eſt tam manifeſta, vt actionum, Illa cauſam reſpicit, hæc effectum.*
2. *Q. An detur cauſa morbi, quam non morbus ſtatim ſequatur? Reſp. Vix datur.*
3. *Q. An idem vnus affectus & morbi cauſa & morbus eſſe poßit? Reſp. Poteſt eſſe ſed diuerſo reſpectu.*
4. *Q. Vtrum omnes morbi contagioſi ſint maligni? Reſp. Non ſunt & probabimus.*
5. *Q. Vtrum τὸ θεῖον Hippocratis ad morbos com-*

munes, an verò ad occultos referendum ſit? Reſp. Poteſt ad vtroſq; referri.

Nona diſputatio.
DE MORBORVM
SYMPTOMATIS.

I.

Symptomata morborum.

Prout cauſæ morborum, ita etiam Symptomata ſe habere reperiuntur: hoc ſaltem diſcrimine quod cauſæ morbos præcedant, Symptomata velut vmbræ ſequantur.

II.

Etſi Symptomatis nomine γενικῶς ſæpè accipiatur, quicquid παρὰ φύσιν accidere ſolet: qua ratione tàm morbis ipſis, quàm cauſæ morbificæ & accidentibus competere videtur, nos tamen miſſa nominis ἀκυρολογίᾳ κυρίως, Symptomata dicimus eos affectus, qui morbos conſequuntur.

III.

Epigenomata.

Galenus ἐπιγενήματα de diff. Sympt. 1. 2. appoſitiſſimè dicit, quod ex morbis tanquam proles naſcantur. Vulgò etiam caſus ſeu accidentia morbi appellantur.

IV.

Ex quibus intelligitur, morbos Symptomatum cauſas eſſe, vnde ipſa tanquam germana germina repullulant. Sicut idipſum Gal. tribus libris de Symptom. cauſis luculenter demonſtrat.

Sym-

V.

Symptomatum (ne longius exorbitemus) triplex differentia eſt: aut enim læſio in actione conſiſtit, aut in qualitate vitiata, vel etiam in excrementis. Symptomatũ differentia.

VI.

Vnumquoq; horum triplici modo vitiari poteſt, vel imminuitur ſaltem, vel deprauatur, vel etiam planè aboletur. Læſio triplex.

VII.

Proinde actionum noxa ex ipſarum conſtitutione intelligitur: Sunt vero quædam ψυχικαὶ animales, quædam ζωτικαὶ, quædam etiam φυτικαὶ naturales. Actionum læſio.

VIII.

Et ſanè animalium quædam ἡγεμονικαὶ ſunt ſeu principes quæ Galeno etiam interiorum ſenſuum nomine veniunt: In quibus læſio ſi fit, cerebro imputatur, nimirum cum vel imaginatio, cogitatio vel memoria diminuitur, deprauatur vel aboletur, vt fit in delirio, Mania, Melancholia, &c. Animalium ſymptomata.

IX.

Aliæ animalium actionum ſunt αἰσθητικαὶ ſenſuum exteriorum, quorum Symptomata manifeſta ſunt, ex vitijs Viſionis, auditus, guſtus, odoratus, &c.

X.

Sunt etiam actiones κινητικαὶ Motrices quæ per neruos motorios perficiuntur, in his ſi

Digitized by Google

noxa fuerit, Symptomata exurgunt varia, vt ſunt: Rigor, tremor, ſternutatio, oſcitatio, pandeculatio, conuulſio, Paralyſis.

XI.

Vitalium ſymptom.

Vitalium actionum ſymptomata ex pulſu & reſpiratione inclareſcunt, in quibus itidem debilitas deprauatio & priuatio contingere poteſt.

XII.

Naturalium ſymptomata.

Proinde naturalium functionum noxæ ex nutritionis ac generationis deprauatione animaduertuntur, in quibus innumera ſymptomata exiſtere ſolent, primaria ſunt: Atrophia & Impotentia generandi.

XIII.

Qualitatis vitiatæ ſympt.

Succedit altera ſymptomatum differentia in qualitate vitiata: vbi affectus παρὰ φύσιν, illi deſignantur, qui ſenſibus expoſiti ſunt noſtris, & referuntur interdum ad vitiatum colorem, interdum ad ſonum corruptum, ſæpè ad odores & ſapores deprauatos, demum etiam ad tactiles qualitates.

XIV.

Color deprauatus.

Deprauatus color apparet ex viſu vel in toto corpore vt Icterus vterq;, Elephantiaſis, lepra: vel in aliqua corporis parte, vt Gangrena, herpes, ſcorbulus.

XV.

Sonus vitiatus.

Soni corruptio cognoſcitur ex auditu, vt

in

in Angina, pleuritide & morbis aſperæ arteriæ.

XVI.

Ad Olfactum pertinent fœtor totius narium, oris, aurium, axillarum, pedum, mammarum, ructus acidi, nidoreſi & exhalationes fœtidæ. Olfactus ſymptom.

XVII.

Guſtus Symptomata ſapor agnoſcit, vt ex oris amaritudine, ſalſitate, pituitæ vel bilis, conditionem percipit. Guſtus ſympt.

XVIII.

Deniq; tactus vitia ex cutis contactu conſtant, quorum internuncius eſt DOLOR, qui certiſſimum affectus præternaturalis Symptoma eſt. Tactus vitia. DOLOR.

XIX.

Tertia demum differentia in excrementis latet, ijsque vel nimium retentis vel immodice excretis.

XX.

Excrementa proinde vel tota ſubſtantia nocent, vel quantitate & qualitate. Excrementa.

XXI.

Tota ſubſtantia nocent: Hæmorrhogia grauis ſiue ex naribus profluat, ſiue ex pulmone, ventriculo, aluo, Hæmorrhoidibus vel alia parte corporis. Item vomitus, alui & vteri profluuium, calculus, &c.

Inſalubria. tem declarant: quædam inſalubria præter naturam quæ morbum præſentem oſtendunt. Inter hæc duo Media ſunt, quæ dubium valetudinis ſtatum arguunt, ſicut Gal. in arte parua declarat.

V.

Triplicia ſigna: Diagnoſtica. Prognoſtica. Anamneſtica.

Ratione temporis tripliciter ſigna diſpenſantur: Quædam enim ſunt διαγνωςικα, quæ præſentem ſanitatis morbiúe ſtatum indicant: quædam prognoſtica quæ de futuro præſagiunt: Sunt etiam ἀναμνηςικὰ quædam quæ de præterita corporis ςάσει iudicium ferunt & ex artificioſa coniectura deprehenduntur.

VI.

Diagnoſtica.

Διαγνωςικὰ nobis hac vice attendenda veniunt, de Prognoſticis ſequenti diſputatione agemus.

VII.

Sunt autem Diagnoſtica ſigna ægra duûm generum: quædam propria & inſeparabilia ſunt ægrorum corporum παθογνώμικα appellata, quæ cum morbis ſimul fiunt & deſiunt: quædam verò non propria & ſeparabilia, quæ non neceſſario morbos comitantur Græcis συνεδρεύοντα dicuntur.

VIII.

Pathognomica.

Pathognomica, de quibus prius agendum, tam certa morborum ſunt Indicia vt non morbum tantum eiuſq; cauſam, ſed locum etiam

iam affectum ſubindicent, vt in Pleuritide febris acuta, dolor lateris pungens, difficultas reſpirandi, &c.

IX.

Porrò loci affecti occulti & latentes (externi ſenſuum beneficio cognoſcuntur) quinque modis potiſſimum deprehenduntur, 1. ex læſa actione, 2. ex cretis, 3. ex ſitu, 4. dolore, & 5. accidentibus proprijs. **Quinque notæ morborum.**

X.

Actio, vt aliàs vidimus, tripliciter læditur, 1. diminutione. 2. deprauatione & 3 abolitione. Cumq; triplex actionum differentia: Animalis, vitalis ac naturalis: Animalis læſionem ex ſenſuum iudicio colligimus: Vitalis ex pulſu & reſpiratione. Naturalis ex vrina & coctione. **Ex actione.**

XI.

Præterea conſiderandum hìc eſt, num pars aliqua per ſe, an verò per conſenſum afficiatur: Per ſe afficitur κτ̀ πρωτοπάθειαν, ſiue ἰδιοπάθειαν. Per conſenſum verò κτ̀ συμπάθειαν: idque fit dupliciter: primò per communicationem cauſæ morbificæ, quæ ſi ad partem nobiliorem decubuerit, μετάστασις dicitur: Si verò ad ignobiliorem, διαδοχή. Deinde propter priuationem, cum vel facultas functionis opifex in partem ferri prohibetur, vel materia ad agendum neceſſaria non ſuppeditatur. **Morbus per ſe.** **Morbus per conſenſum.**

XII.

Ex excretis. Ex excretis locus affectus ita colligitur, cum aliam quam natura illorum fert, formam præ ſe ferunt Suntque illa Excreta vel portiones partium, vt bronchium tuſſiendo excretum de vitiatis pulmonibus indicium præbet: Sanguinis grumus thoracem malè habere indicant Carunculæ in vrinis renes,&c. vel ſunt contenta in fecibus & vrina. In quibus modus, tempus, quantitas, qualitas, color, copia, atque adeo ipſa tota eſſentia conſideranda.

XIII.

Ex Situ. Ex ſitu affectus dignoſcitur, Si durus in dextra præcordiorum parte tumor apparet,Epatis affecti nota eſt, ſi in ſiniſtra, lienis, &c.

XIV.

Ex Dolore. Tandem etiam doloris proprietas affectum locum oſtendit, qui attenditur tum ratione ipſius partis dolentis tum etiam ratione materiæ peccantis.

XV.

Reſpectu partis dolentis ita: Membranis pungens dolor accidit: neruus tractiuus craſſioribus partibus perforatiuus, ægrè ſentientibus grauatiuus, arterijs pulſatilis, venis extenſiuus, carnibus laxatiuus, &c.

XVI.

Reſpectu materiæ peccantis ita: Calida mor-

mordentem præbet dolorem: frigida ſtupidum: Sicca exaſperatum, bilis acerrimum & ſtimulantem, Melancholia & pituita ſtupidum.

XVII.

Denique ex accidentibus proprijs affectus intelligitur, vt ex faſtidio cibi colligitur oris & ventriculi affectus, ex ſingultu ventriculi, ex tuſſi thoracis, ex ſternutatione cerebri, &c. Ex accidentibus.

XVIII.

Hæc ſigna partem affectam oſtendunt. Sunt etiam quæ eſſentiam & cauſam morbi commonſtrant.

XIX.

Eſſentia morbi itidem ab excretis, Symptomatibus, ſitu & dolore petitur, vt Sabuloſa vrina ſignum eſt calculi, lingua nigricans febris ardentis, lateris dolor pleuritidis, &c. Signa eſſentiæ.

XX.

Cauſa morbi tàm antecedens quàm conſequens itidem ex dolore, colore faciei, excretis & retentis, nec non alijs ſimilibus indicijs eluceſcit. Signa cauſæ.

XXI.

Nec tamen in omnibus morbis Syndrome pathognomica monſtrari poteſt: ſed ſæpè artificioſa coniectura opus eſt; ſæpè natura, ætas ægri, conſuetudo, habitus corporis, vitæ genus, exercitia, victus, mores, animi & aeris conſti-

conſtitutio, & alia huiuſmodi aſſumenda ſunt. Quibus omnibus in faſciculum collectis, mirum non eſt, ſi de morbis obſcuris & latentibus exacte iudicetur. Id quod ad æſtimationem Medici maximopere pertinet.

XXII.

Signa Synedreuonta.

Hæc fere ſunt in vniuerſum παθογνωμικὰ ſigna omnia, quibus nunc ſuccedunt συνεδρεύοντα quæ ad externam morborum differentiam, magnitudinem & conſuetudinem cognoſcendam pertinent.

XXIII.

Signa differentiarum.

Differentia morbi externa ex Symotomatibus & excretis ſumitur, vt in pleuritide magna dolor ad iugulum; ſputum cruentum, &c. quæ ſi citò erumpunt, acutum breuemq́; morbum oſtendunt, ſin tardè, diuturnum.

XXIV.

Signa magnitudinis.

Magnitudo morbi vehementer corpus affligens cognoſcitur, vel ex partis præſtantia, vt in Apoplexia, Phrenitide, Syncope, &c. vel ex malitia cauſæ, vt in cholera, peſtem venenatis omnibus, vel etiam ex Symptomatum ſæuitia, quæ vires facilè proſternit, vt ardentiſſima febris, cephalalgia, &c.

XXV.

Signa conſuetudinis.

Conſuetudinem morbi Symptomata etiam indicant, quæ ſi leuia fuerint, mitis & beni-

gnus

Digitized by Google

gnus morbus euadit : ſin verò grauia, malignus ac peſtilens.

Qvæsita.

1. *Q. An Medicis ſignis tutò fidere poſſimus? Reſp. Cur non, ſi ſint ſufficientia.*

2. *Q. Vtrum ex vno ſigno fieri poſſit de morbo iudicium? Reſp. Non ſemper, niſi ſit maximè euidens.*

3. *Q. An iudicium morbi ex vrinis ſit certum? Reſp. Eſt certum* κατά τι, οὐ μὴ ἁπλῶς.

4. *Q. An iudicium ex pulſu ſit ratum? Reſp. Eſt certè, & beatus qui intelligit.*

5. *Q. Vtrum* σημεῖον *an verò* στοχασμὸς *Medico plus conferat? Reſp. Vtrum multum confert,* στοχασμος *plus exiſtimationis,* σημεῖον *plus cognitionis.*

Vndecima diſputatio.

DE PROGNOSI MORBORVM.

I.

Hactenus de ſignis Diagnoſticis, ſupereſt vt de Prognoſticis agamus: ἀναμνηστικὰ tanquam ab vſu Medico remota prætermiſimus. *De Prognoſticis ſignis.*

II.

Prognosis quæ de Prognoſticis agit, diuiniſſima Medicinæ pars exiſtimatur, quæ ægrum vel de morte, vel de ſalute ſua certum *Prognoſis.*

facit,

facit, Mediciq́ue exiſtimationem ac famam ſartam tectam conſeruat, qua qui inſtructus non eſt, ægroto, vt Gal. 5. de loc. affect. c. 7. ait, miſeriam, ſibi vero infamiam cumulabit.

III.

Ad Prognoſin quatuor.

Conſiſtit autem prædicendi ars in quatuor bene conſideratis rebus. Initio tempus morbi conſiderandum venit, deinde ſigna coctionis & cruditatis, tum ipſa Criſis, ac demum ſigna ſalutis ac mortis.

IV.

Tempora morbi.

Tempora morbi, quibus vniuerſa ægritudinis periodus definitur, quatuor ſunt: 1. Principium. 2. Incrementum. 3. vigor, & 4. declinatio, quàm benè moratus morbus tantum experitur: omnia enim tempora omnes morbi vix attingunt natura vel in principio ſtatim ſuccumbente, vel in Incremento, vel etiam in vigore.

V.

Principium.

Principium morbi ſignis coctionis & cruditatis deſcribitur: Sunt autem ſigna coctionis quæ caloris ac virtutis naturalis robur declarant & bonum morbi euentum præmonſtrant: cruditatis verò ſigna morbi difficultatem, abſceſſum vel iudicium nullum aut certè exiguum relinquunt.

VI.

Signa coctionis.

Atque hæc ſigna à tribus ferè excrementis

tan.

tanquam internotis ſumuntur, vt ex fecibus alui, ex vrina & ex Sputo.

VII.

Alui feces partium coctioni præcipuè inſeruientium conditionem ac temperiem oſtendunt, quæ ſi non multum à naturali more ac colore abſuerint, bonum prædicunt euentum, Sin contra malum. Alui feces.

VIII.

VRINA ſeroſum ſanguinis excrementum eſt, ex qua humorum coctio & cruditas apparere ſolet: idque vel ex ſubſtantia, vel colore, vel ex hypoſtaſi & nubecula: ex quibus omnibus de ſtatu morbi iudicium fieri ſolet: Laudabilis vrina eſt colore ſubaureo, ſubſtantia mediocri, ſedimento ſubalbo, Diætæ correſpondens, in qua nec bullæ ſupernatant, nec craſſum quid ſubſidet, quod caloris virtute ſubigi non poterat: Quæcunque ab hac vel in hanc, vel in illam aberit partem, pro praua vrina habenda eſt, & cruditatis manifeſtum ſignum. Vrina.

IX.

SPUTUM excretum eſt tertiæ coctionis quod virtutem imbecillitatemque naturæ vehementer declarat. Hoc ſi album, leue, æquale nec nimis humidum aut craſſum, nec tenue aut glutinoſum fuerit, optimum cenſetur. Si vero ab hac mediocritate recedit, & puris ſeu ſaniei formam præ ſe fert, peſſimum. Sputum.

Proin-

X.

Proinde cognoſcitur etiam principium morbi, ex natura morbi, ex anni partibus, ætate ex natura patientis, regione & victus ratione, &c.

XI.

Augmentum morbi.

AVGMENTVM morbi tribus notis dignoſcitur: primo ex hora acceſſionis, quæ vel æqualis eſt, vel inæqualis: Si anteuertit horam morbus, in augmento eſt, Sin ſecus, in decremento. Deinde ex longitudine & breuitate paroxyſmi αὐξήσεως indicium ſumitur. Demum ex vehementia morbi, quæ ſi inſolentior fuerit, manifeſtum morbus incrementum ſumit.

XII.

Vigor.

VIGOR morbi Epithaſis eſt, Græcis ἀκμὴ dicitur, ex qua ſola ferè indicium, ſc. Criſis morbi exiſtere ſolet, quando tàm morbi vigor ſcilicet quàm naturæ virtus æqua lance ponderatur.

XIII.

Criſis vnde?

Sumitur autem Criſis ſeu iudicium morbi partim ex ſignis euidentibus, partim etiam ex ratione dierum, vt vocant, Criticorum.

XIV.

Criſima ſigna duplicia.

Signa κρίσιμα duplicia ſunt: quædam mox ſecuturam Criſin antecedunt, veluti capitis dolor repente inuadens difficultas ſpirandi præter

præter rationem vehemens, morſus cordis, vigilia, delirium, lachrymæ inuoluntariæ, rubor faciei, caligo ante oculos verſans, &c. Quædam Criſin ipſam efficiunt, vt vomitus, profluuium alui & vrinarum, ſanguinis fluxus è naribus, hæmorrhoides, Parotides & abſceſſus, &c.

XV.

Quæ ſanè ſi die critico apparent, ſemper bona iudicantur: Sin verò ante vigorem & concoctionem, vel ob morbi vehementiam vel motus celeritatem exiſtunt, imperfectum vel prauum iudicium relinquunt. Quæ Criſis imperfecta & Symptomatica dicitur.

XVI.

Proinde criticorum dierum ea ratio eſt, tametſi Hippoc. & alij Medici naturam dierum criticorum ad motum Lunæ potiſſimum dirigere videantur. Vnde plerique ſolum numerum neglecto numerato in cenſu perperam reputant, tamen per æquè certum eſt, iſtos in arte Medica principes non minus ad conditionem materiæ ſeu humorum in corpore reſpexiſſe, quàm ad Lunæ motum, quæ humorum in corpore domina eſt. Dies Critici.

XVII.

Atque ideò non tantum criticos dederunt dies sed etiam indices, & quidem eos quibus maximè humores agitari ſolent, vt quar-

to, ſeptimo, vndecimo, decimo quarto, quartus Index eſt ſeptimi, vndecimus decimi quarti, & ſic deinceps.

XVIII.

Series criticorum. *Decretoriorum ſeries,*

Vt numerum in promtu habeas, ſic habeto: Indices Criſis dies ſunt, 4.11.17.24.31.37.44.51.57.64.71.77.84.91.97.&c. Decretorij hi ſunt: 1.7.14.20.27.34.40.47.54.60.67.74.80.87.94.100.&c.

XIX.

Quibus diebus humores vt plurimum ὑλικῶς moueri ſolent: tametſi ſinguli ſuas definitas periodos habeant, vtpote: Pituita omnibus diebus, bilis tertio: Melancholia quarto quoq; die: Atque hic motus ſi ſe κατὰ φύσιν habeat, bonum & fidum iudicium præſtat: Sin ſecus, infidum & malum. Id quod etiam ex ſignis ſalutis & mortis conſtare poterit.

XX.

Signa ſalutis & mortis.

Mortis & ſalutis ſigna potiſſimum ſumuntur à figura & diſpoſitione totius corporis, functionibus partium tàm animalibus quàm vitalibus & naturalibus, ab excretis & Symptomatibus, Demum quod certiſſimum eſt, à natura & conditione ipſius morbi.

XXI.

Lethalia ſigna.

Lethalia θανατώδεα σημεῖα hæc ferè ſunt: oculi caui, tempora collapſa, aures frigidæ, contorſio oris, labiorum, ſuperciliorum, narium, palpe-

palpebrarum inuerſio: caligo oculorum, intuitus abſque motu perſiſtens: inſtantia mentis, inquietudo, inſomnia, decubitus ſupinus, denudatio corporis ſine pudore & calore, floccos vellere, feſtucas colligere, geſticulatio, tremor artuum, præcordiorum tenſio, pulſus pebilis, inæqualis, anhelitus fetidus frigidus, ſudor circa frontem & caput frigidus, egeſtiones liuidæ, excrementa nigra, viridia, virium maxima imbecillitas, anxietas, & alia huiuſmodi plura.

XXII.

Salutis indicia iſthæc ſunt: naturalis corporis habitus, facies ſanis perſimilis, facilis tolerantia, lenitas pulſuum, virium conſtans robur, decubitus decem imprimis actionum mediocris integritas, & ſi quæ ſunt cætera. Salutis ſigna.

XXIII.

Ex his & ſimilibus Indicijs non difficile fuerit de ſalute vel morte ægri quid prædiçere, imò ſæpè de die & hora mortis diuinare licebit; ſi tantum morbi acceſſiones & aliæ circumſtantiæ benè examinentur.

XXIV.

Neque tamen temerè & præcipitanter de Salute & Morte pronunciandum eſt: quin prius tria diligentiſſimè excutienda: primum num pars afflicta nobilis ſit, an ignobilis, pu- Non temerè prognoſticandū.

blica vel priuata : Deinde quæ ſit morbi ſpecies, quæ magnitudo , vis atque conſtantia. Demum vires explorandæ erunt ex facultatum & functionum integritate: Naturales ex vrinis & egeſtionibus ; vitales ex pulſu & reſpiratione : animales ex motu, ſenſu, ratione , ſomno & vigilijs rectiſſimè deprehenduntur.

XXV.

His ita animaduerſis , ſi ſalutis ſpes affuerit, Declinatio tandem læta morbi cataſtrophe ſuccedet, quæ his ſignis prænoſcitur: Si acceſſio ſolito tardior ſit , Si breuior & minus diuturna , omniaque mitiora facta fuerint, &c.

Particularia morborum tempora vt ſunt acceſſio, remiſſio, circuitus totius morbi, conſultò prætereuntur.

QVÆSITA.

1. *Q. An ſemper tuta ſit prædictio in morbis ? Reſp. Non ſemper. Sed cautè agendum.*
2. *Q. Vtrum Criſis lunari periodo potius quàm humoribus addicenda ? Reſp. Vtrumq; eſt in ſenſu.*
3. *Q. An morbus in principio grauior ſit, quam in vigore, vt videtur Truſiano, quem ſecutus Oribaſius ? Reſp. Nobis ita non videtur.*
4. *Q. Cur in Germania rariores ſunt Criſes quàm in Hiſpania & alibi ? Reſp. Fit hoc propter humorum commixtionem & ſynceritatem.*

5. Q. An

5. Q. *An in Declinatione contingat aliquem mori?*
Reſp. Contingit quidem, idq; vel ex accidente vel ex recidiua.

Duodecima diſputatio.

DE METHODO MEDENDI.

I.

Vltima ſupereſt Medici opera θεραπευτικὴ, ad quam omnia, de quibus hactenus ſollicitè diſquiſiuimus tanquam ad erectum trophæum directò referenda ſunt.

II.

Etſi in curationis negotio præcipuam ſibi natura vendicet laudem: ea enim ſola morbis mederi nouit, ad cuius placitum vniuerſa Medicina tanquam συναίτιον ὀργανικὸν comparanda eſt. Quod niſi fiat nihil eſt Medicina: Si verò prouoto fiat, Manus Dei rectiſſimè Herophilo dicente æſtimatur. Vnde peritus Medicus naturæ miniſter cenſendus. **Natura medetur morbis.**

III.

Naturæ famulatur Medicus dum de certo remedij genere cogitat, de quantitate, & recta vtendi ratione: Quæ tria efficiunt vt Curatio citò, tuto & iucundè procedat. **Tria medendi requiſita.**

IV.

Delectus remediorum. In delectu remediorum ea cura eſſe debet, & remedia morbis contraria opponantur. Contraria enim contrarijs pelluntur: tametſi interdum ſimilibus curari morbos experiamur. Idipſum tamen per accidens, vel alijs de cauſis fieri ſcimus.

V.

Scopus Medendi. Primarius ergo medendi Scopus eſt, vt omnis curatio ad cauſam morbi dirigatur, neglectis, ſi fieri poteſt, Symptomatis: quamuis ſæpè eueniat vt neglecta cauſa ſæuiori occurrendum ſit Symptomati, iuxta regulam: Semper quod magis vrget, primum curari debet. Quæ extra ordinaria curatio dicitur.

VI.

Quantitas remedij. Ex morbi magnitudine & virium robore quantitas remedij æſtimanda venit; vbi etiam affectæ partis ſubſtantia, Situs & præſtantia attendenda. Prouidendum hic ne quid nimis, nec quid minus: Tutius tamen hic quàm illic peccatur.

VII.

Vtendi ratio. Vtendi ratio ex natura morbi, ex conditione ægri, ex loci temporiſque occaſione, denique ex perita Medici ſagacis prudentia, tota dependet.

VIII.

Hæc Generalia ſunt de quibus accuratius

nobis

nobis differendum erit, Si benigniorem θεραπείας genium experiri velimus.

IX.

Remediorum proinde genera in arte θεραπευτικῇ ſanitatis curatori etiam atque etiam pro affectuum ratione diſpicienda ſunt: Si enim morbus leuior, ſola Diæta curandus eſt, ſi difficilior præter Diætam pharmacia experienda. Si verò tam contumax fuerit, vt his præſidijs mitigari non poſſit, Chirurgia erit adhibenda. Remediorum genera tria.

X.

DIÆTA conuenienti victus ratione perficitur, quæ ita inſtitui debet, vt morbo ſit contraria, naturæ verò perſimilis & accommodata. Quò pertinent exercitationes corporis variæ, balnea, hilares animorum motus, &c. de quibus latiſſimè alias. Diæta.

XI.

PHARMACIA ad morbi cauſam, vt diximus, dirigenda eſt, quæ vel toto genere vitioſa eſt, vel ex parte tantum: hæc alterando corrigitur, illa euacuando è corpore educitur. Pharmacia.

XII.

Alterantia Medicamenta vel communiter vniuerſo corpori dedita ſunt, vel quibuſdam partibus peculiariter addicta. Alterantia Medicamenta.

XIII.

Quæ vniuerſum alterant, id vel manifeſta efficiunt qualitate, vel planè occulta, cuiuſmodi ſenſibus obuia non eſt, ſed tantum ratione ac certa experientia intelligitur.

XIV.

Medicamenta primæ virtutis.

Manifeſtæ qualitatis facultas atque vis triplex eſt: prima ſimplex & ratione exceſſus definitur; qua Medicamenta ſunt vel calida vel frigida, ſiue ſicca, ſiue humida. Atque in latitudine huius qualitatis quatuor gradus à Medicis obſeruati ſunt: primus gradus temperatæ eſt naturæ nullius ferè exceſſus, ſecundus leuioris, tertius immoderati, quartus ferè lethalis.

XV.

Medicamenta ſecundæ qualitat.

Secunda virtus qualitatis manifeſt. in iſtis reſidet medicamentis, quæ ab effectu vel emolliunt, indurant, tendunt, laxant, condenſant, aperiunt, diſcutiunt, abſtergunt, &c. Hinc medicamenta ſunt ἑλκτικὰ, διαφορητικὰ, πυκνωτικὰ, ἐμπλαστικὰ, &c quæ pro diuerſa ægrotantis ac morbi conditione varijs formis atque modis exhiberi poterunt.

XVI.

Medicamenta tertiarũ qualitat.

Tertia demum virtus eorum eſt quæ efficatius naturam iuuant & morbum pellunt. Cuiuſmodi ſunt, quæ vrinam & pus mouent, lac augent vel minuunt, dolorem ſedant, carnem

nem generant, glutinant ἀποκρούς ικα ηδῇ ἀ-λεξιτηρια.

XVII.

Peculiaria ſuccedunt pharmaca certiſque corporis partibus deſtinata, vnde etiam nomen acceperunt, vt ſunt Cephalica, Pectoralia, Cordialia, Stomachica, Hepalica, Splenetica, Nephritica, Hyſterica, Arthritica, &c. Appropriata remedia.

XVIII.

Hæc de alterantibus remedijs: Quæ verò vacuant, ex contentis præter naturam in corpore ægro innoteſcunt: contentorum vitia duo ſunt: Plethora & Cacochymia. Vacuantia remedia.

XIX.

Si ſola Plethora adeſt, ſola euacuatione opus per diminutionem, quæ venæ ſectione, cucurbitulis & alijs medijs peragitur: Si cacochymia ſola, purgatione vacuandum eſt. Si cum Plethora Cacochymia, vtrumque præſidium experiundum. Phlebotomia.

XX.

In Phlebotomia vnicus hic eſto Scopus, vt plenitudo in venis minuatur, niſi interdum neceſſitas reuellendi adſit: Dum Sanguis mittitur, ſemper alter oculus ad morbi vehementiam: alter ad vires patientis conuertendus eſt.

XXI.

Purgatio prauam humorum qualitatem au- Purgatio.

ſerro debet idque vel vniuerſaliter ex toto, ſiue id fiat ἄνω per vomitum, ſiue κάτω per aluum ſiue etiam καθ' ὅξιν per ſudores & inſenſilem exſpirationem.

XXII.

Ante purgationem quid agendum.

Ante purgationem attendenda eſt conditio materiæ expurgandæ, quæ ſi cruda fuerit, prius medicamentis præparanda eſt digerentibus & maturantibus: Sin verò cocta & ad educendum idonea fuerit, catharcticis foràs euocari debet.

XXIII.

Catharctica medicamēta quadruplicia, χωλαγώγα, μελαναγώγα, φλεγμαγώγα, ὑδραγώγα.

Sunt vero Catharctica remedia pro humorum peccantium conditione diſtincta: quædam χωλαγώγα ſunt, quæ bilem ducunt, vt Rabarbarum, Caſſia, Aloë, &c. quædam μελαναγώγα, quæ Melancholicum ſuccum trahunt, vt Sena, Helleborus, &c. quædam φλεγμαγώγα, quæ pituitam, vt Agaricus, Turbuth, Diagridium, &c. Sunt etiam ὑδραγώγα, quæ aquam. Quibus pro ratione morbi & ægrotantis ratione prudenter & cautè vtendum eſt.

XXIV.

Hæc de formis remediorum, de materia eorum quoque differendum eſſet: Sed hæc res peculiarem requirit diſquirendi locum. Breuiter hic addimus materiam medicamentorum partim à rebus deſumi animatis partim

Materia medicamentorū.

etiam

etiam ab inanimatis, quæ morbis cum ſumma dexteritate adhibenda eſt. Si ſimplex eſt morbus, ſimplici remedio vti ſatis eſt. Si compoſitus miſceri medicamenta neceſſum eſt. Id quod ſingularis artis ac periti iudicij fuerit.

XXV.

Vltimum nunc ſupereſt medicandi præſidium CHIRVRGIA, de qua Hippocrates vltima Aphor. ita præcipit: ὁκόσα φάρμακα οὐκ ἰῆται, σίδηρος ἰῆται: ὅσα σίδηρος οὐκ ἰῆται: πῦρ ἰῆται, ὅσα δὴ πῦρ, οὐκ ἰῆται, ταῦτα χρὴ νομίζων ἀνιάτατα. Atque hoc præcepto finis eſto. Chirurgia.

QVÆSITA.

1. *Q. An medicamenta abſq; naturæ ἐνεργεία in corpore aliquid præſtent, vt vult Theophraſtus? Reſp. Planè nihil.*

2. *Q. Vtrum remedium debeat eſſe morbo æquale vel paulò exuperans? Reſp. Tale eſſe debet, vt cum natura vincat ac ſuperet morbum.*

3. *Q. An morbus qui Diæta curari poteſt, pharmacia ſit tentandus? Reſp.* Non, non.

4. *Q. An cathartica medicamenta trahendo operentur an verò pellendo? Reſp. trahendo.*

5. *Q. An tutum ſit in morbis calidis propinare Rhabarbarum quod natura calidum eſt?*

Reſp.

Reſp. Non intutum maximè cum non euiden ſit eius caliditas, perſpecta verò illius bonitas, &c.

Soli Deo gloria.

LIPSIAE.

IMPRIMEBANT HAEREDES FRANCISCI SCHNELBOLTZII, typis hæredum Beyeri.

M. DCI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE